

*Salv. III. 2852.*

*51*

**EXEQVIAS MOESTISSIMAS,**

**SEPTUAGENARIO EMERITO,**

*VIRO,*

*dum viveret,*

*PERREVERENDO, PRÆCLARISSIMO, DOCTISSIMO,*

**DN. GEORGIO  
FABRICIO,  
MAGDEBURGENSI,**

**Per integros XLVI. Annos PASTORI  
& INSPECTORI Fida-bricensi vigilantissimo,  
constantissimo, &c.**

*Cum publico squalore totius amplissima*

*FAMILIAE FABRICIANÆ*

*A. Æ. D. M. DC. LXXVII. die 6. Junii  
Fatis functo,*

*Et post 12. Jun. Fida-britzæ ad D. Mariæ  
funebri pompa humato,*

*INDICTAS*

*PROLIXO LUCTU PROSEQUITUR*

*PRÆFICA*

**FAMILIA PILARICKIANA,  
HUNGARIA EXTORRIS.**

---

WITTEBERGÆ, Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.  
ANNO CLX LXXVII.





VIATOR,  
*Quisquis es, subsiste!*

Hic pone, qvâ Tu vivus ad mortem deproperas,  
situs est,

BEATUS  
**GEORGIUS FABRICIUS.**

Pietate insignis, doctrinâ conspicuus, zelo  
ardentissimus, casuum varietate  
illustris,  
Unus qvondam gaudiorum, nunc luctûs acerbissimi  
argumentum.

Huic ante XIV. Lustra vitam dederat

MAGDEBURGUM,  
illud tragicæ fortunæ ferale theatrum,  
copiosissima Annalium materia:

Nempe ut horoscopum suum Infans jam tum ex Patriæ fatis  
addisceret.

Non ullum aliud commodius, qvâm GEORGII  
sortitus nomen,

Si vel solennem illam & communem pœnam cogites,  
qvam in primo desertore Paradisi omnes Filii Adam  
reportarunt;  
vel sancta munia perpendas, qvæ in Agro Ecclesiæ hic Agricola  
grandi cum fœnore exantlavit.

Ado-

Adolescentiam cum Juventute Ei prope impunem  
fata concesserunt,  
aut qvòd vires suas in tenera Virtute experiri dubio Marte  
noluerint,  
[ namqve vix Annos Juvenis attigerat, dum jam Senes  
sapientiā vinceret, ]  
aut qvòd brevem hanc serenitatem, qvæq; Juvenibus penè sine  
sensu elabitur,  
longâ eāq; decumanâ tempestate VIR mercari debuerit.  
Ita scilicet, nihil simpliciter Superi indulgent.

*Ecce enim,*

Vocatus ad sacra pulpita Fido-Brizensia,  
dum DEUM vocantem seqvitur,  
Matrem piissimam horribili scelere amittit.  
Nota illa publicæ ac cruentissimæ cladis nomina!

Dum [ heu tristem memoriam! ] alta MAGDEBURGI decora,  
fatalis flamma depascitur,  
dum conjugum velluntur fibræ & patrum lacinantur  
viscera,  
dum innumera cæforum clade Urbs tota natat sanguine,  
dum TRIGINTA MILLIA hominum misere  
enecantur,  
[ Qvis ad hujus innumeri numeri immensitatem, & ad feralem tot  
Christianorum cruciatibus ac homicidiis sublatorum memo-  
riam non cohorescat? ]

Tandem Mater unica [ eheu luctus acerbissimos! ]  
Mater unica [ ô scelus impium! crudele! dirum!  
barbarum! ] deperdita,  
qvam aut flamma bacchans undique absunxit, aut voravit gladius,  
aut oppressere ruinæ,  
aut alio qvopiam luctuosissimo fato functam, dilutus huma-  
no cruore hausit Albis.

A 2

Tro-

Trojanum hoc redux excidium voces, aut  
Hierosolymitanum,  
utrobiqve nec falles nec falleris :  
ibi namqve deperditam Creusam cum Ænea ; hic Matrem sanctam  
Zion cum Jeremia FABRICIUS, tanto luctui vix superstes,  
ingeminans millies comploravit.

*E*cquis eloquentiae labor labores ejus Ecclesiasticos  
digne exprimet?

*Q*uae historiographi fides fidelitate perseguetur?  
quis zelosus Theologus sanctum zelum edisseret?  
quis sinceritatem sincerè satis celebrabit?  
quis Homerus tragicos conscribet casus?

Abeant annorum præteriorum tristia monumenta,  
unicum exemplum sufficit,  
qvod labores, qvod fidem, qvod sanctum zelum, qvod sinceritatem,  
qvod deniqve rarum ac prope sine exemplo casum  
perorabit.

*P*auci abiēre Anni,  
qvibus miræ ac occultæ artes, sub uno componere silentio  
diversissimas mentes fatagebant,  
qvæ labes, in plures jam hodie serpsit specioso nomine,  
qvam ut singuli inter reos scribi possint, aut qvibus lictor diem  
dicat;

at stetit stetit hinc firmiter  
*venerabilis Christi Miles GEORGIIUS :*  
rupea illi fuit statio, de qua nullis Æolis aut cuniculis deturbari  
potuit,  
adèò ut OCTO-VIR ipse Potentissimus,  
clementer miseratus caducum Annis & mœstitiâ corpus,  
id scuto suo obtegeret.

Sem-

*Semper Constantia Victrix!*

Nec potis est D E O sincerè dedita ingenia,  
deducere ad captivitatem.

At verò

nunquam sine mensura aut propitii aut tristes sunt Superi;  
edulcoravit namq; variam sortis amaritudinem  
perfectus numerus, ac idem propè, qvì patrem David  
Isai olim beaverat,

*FILIORUM MASCULÆ SORTIS SENARIUS,*

Patris piissimi Proles piissima,

qvodq; non vulgaris felicitatis est, omnes hi à Divinis Ministeriis,  
Omnes Paternæ Virtutis ex asse hæredes,  
à qva non otiosum sanguinem deduxerunt.

Horum Natu primo, primo & Virtute ac Axiomate,  
cujus divinam Svadam Magdeburgum suspicit,  
digna hæc appensa Elogia, qvòd is sit

*Fratrum Reverendorum Tutor ac Brachium,*

Cognatorum firmum fulcrum, afflictorum inexpugnabile asylum,  
Popularium receptaculum,

*HOSPES HUNGARICORUM EXULUM,*

Reginæ Virtutum Charitatis absolutum Compendium.

Nec tamen hic beneficium Numen substitit:  
Vidit namq; vñ SENEX VENERANDUS oculis suis alium vel solo  
numero sacrum

*NEPOTUM MASCULÆ SORTIS SENARIUM,*

qui morientis PATRIS ac AVI Spiritum ore suo exceperunt,  
felices vel illo nomine, qvòd præsentes potuerint  
Parentis oculos fugillare,  
qvam felicitatem Filiorum olim primam vocavit  
Romanum nomen.

Satur ille Annis, Honoribus, Laboribus ac sortis varietate,

*SEPTUAGENARIUS,*

*cum B. Hilarione Septuagenario,*

*terras deserere volens generoso fastidio, Cœlum aditurus,  
sic animam suam, immortalitatis sitibundam,  
affatus:*

*Egredere, ô Anima, qvid times?*

*LXX. Annis serviisti DEO, & adhuc mori times?*

*Involavit ille equidem in illam, quam tot desideriis complectebatur, immortalitatem;*

*Sed en Orphana FILIORUM ac Nepotum cohors,  
sqvalida mœrore,*

*miserata amissum PATREM, imò desolatam sortem suam,  
cum relicto thori turtore, VIDUA Mœstissima,*

*Omnes hi pleni lacrymarum, sanguineis lacrymis Patri  
solvunt Inferias:*

*nec hi tantùm unà patiuntur, sed & exteri usq; adeò compatiuntur,  
ut casus iste, non solùm periclitantibus proprius,  
sed omnibus videatur communis.*

*Tu VIATOR,*

*dum hæc legis, luge, quamvis nunquam satis  
elugere poteris;*

*imò lacrymari desine, jam ter conclamatum  
est.*


*VIVENTEM. DEO. FLERE. CREDE. NEFAS.*

*Jam VIATOR,*

*ILICET!*



*Sicut*



Sicut Scena : ita Vita.

EPICET.

**I**ta qvid est, nisi Scena brevis, Mundusqve  
Theatrum,  
Personas miscens arbiter ipse DEUS.  
O venerande Senex, Superis dilecte FA-  
BRICI,

Qui nunc irrides vana Theatra Soli.  
Tu varias forti Personas mente tulisti,  
Scepius & Tragicis casibus ictus eras.  
Quis celebret Tua fata satis? quis fortia dicat  
Pectora? sinceræ religionis opus?  
Dixerat ipse DEUS: CONSTANTIA firma FABRICI  
Fies, personam Tu hujus obibis ovans.  
Euge beate Senex, finita est Scena, Theatrum  
Clauditur, adscendis regna beata Poli.  
Nos Tragicis Scenis Babylonia lacinat Ate,  
Non est qui miseros Exule sorte levet.  
Parcite Vos lacrymis NATI cum MATRE gementes,  
Viventemqve DEO credite flere nefas.

Sinceræ omniaq; ergo, REVERENDIS  
DNIN. FILIIS testandæ  
f.

STEPHANUS PILARICK,  
Sen. Ter-Exul, nunc Neo-Salç. Misn.  
Pastor.

Flebile

Flebile, Sancte Senex, licet Exulis, accipe Carmen,  
Quem trux Papa suis sedibus ire jubet.  
Tu laetus Cœli calcas, sacer Incola, sedes  
Uteris & vultu colloqviogve DEI.  
Te Coniux, NATIq; simul, Te compare luctu  
Perpetuis lacrymis plangit & ista domus

ESAIÆ PILARIKII, Sen, ab Eccles.  
Reg. Libqve Mont. Civit. Shemnic.  
Exulis, nunc Vratisl. Hosp.

FABRICIUS Summi venerandus Mystra Tonantis,  
NATORUM quoqve sex, heic jacet ille Pater.  
MAGDEBURGA dedit Vitam, TREUBRIZA ied Urnam,  
Spiritus ætherei posidet Arva Poli.  
Illi ad tumulum lugentia metra remittam,  
Et mea cum muto fata querar cinere.

Scrips.

JOHANNES PILARICK, ante Ocsoviens.  
Pastor, nunc Exul Christi.

Mibi præ cunctis multum venerande Patrono,  
PARTHENIA celebri Presul in Urbe cluens.  
Quæ Sors? anne Tibi lugubria Carmina scribam,  
Et eristes Elegos nostra Thalia dabit?  
Sic est: namq; meis oculis Te cerno gementem,  
Congemit & FRATRUM, PATRE cadente, Chorus.  
Nil nisi stiere liber, dum moeret sena propago,  
Et Mater viduos mæsta dies queritur.  
Ergo beate Senex, nostri monumenta doloris  
Accipito lacrymas, quas dicat Exul amor.

Nom

Non eqvidem meritis, quæ Ecclesia plurima sensit

Respondeat nostri pectoris iste dolor.

Exulis at Studium lacrymæ, gemitu ille litabit:

Solas nam lacrymas Hungarus Exul habet.

Sic gementibus MATRI & FILIIS intime  
collugebat

J E R E M I A S P I L A R I C K,  
à Mont. Civit. Dilnensi mœstus Exul,  
nunc Magdeburgensis Hospes.

Dum ruit alta Domus, dum pondere vieta fatiscit,

Affolet hæc humiles sternere mole domos.

En ruit alta domus, vietus dum morte FABRICI

Corruis, hinc Natis incipit atra dies.

Omen abesto ferum, præcelsus ab Axe ruinam,

Solatus tistes, sarciat hancce DEUS!

appos. mœstus

S T E P H A N U S P I L A R I C K FIL.  
post duplex Exilium in Jordans-Mühle Past.

Inlyta FABRICIDUM domus est perpesta ruinam,

Egregius Senio dum cadit ipse Pater.

Ampla PILARIKIDUM dispersa est Turba per oras,

Hungaria pulsam quam premit Exilium.

Qui manet Exilii semper solator JESUS,

FABRICIDUM lucis temperet ille graves.

M. S T E P H A N U S P I L A R I C K,  
Eccl. Levinien. Pol. Pastor.  
& Germ. Diac.

B

UNA

## UNA CLASSIS MORTALITATIS.

Cuncta creata simul distingvit Classibus Ordo ,  
Hanc tenet Augustus , Rex, & quos sacra vocavit  
Ad sua Sceptra Themis ; sed plures pauper egestas  
Sub sua juga premit : Sanctas petit alter habenas ;  
Pulverem at alter amat Ludi, vel Martia bella ;  
Et quis cuncta canat ? Tandem mors omnibus omnes  
Æqvat, is est felix qui Cœli Classe resulget.

J E R E M I A S P I L A R I C K ,  
Schol.Senat.Witteb.Collég.VI.

---

S I cest: nil firmum semper lustravit Olym-  
pus ,  
Et nos qui flemus funera jam morimur.

E S A I A S P I L A R I C K , F I L .  
S. S. Th. Stud.

## MORI, suprema lex esto.

M Agna fuit legum semper reverentia, Cæsar  
Quas tulit, aut Reges, aut dedit ipse Draco.  
Nil istas curas FABRICI carne solutus  
Ægrâ, namque mori Lex Tibi summa fuit.

A D R E A S P I L A R I C K ,  
S. S. Theol. Stud.

---

C Elsa ego MAGDBURGI dum culmina lustrarem, ingredi amicam ,  
FABRICII nuper domum venirem :  
Mox gemitus querulos de pectore traxit is Theander,  
Affatus istis nos subinde dictis :

O bone

O bone, quis casus nos opprimit. Ab PATREM verendum  
Mors atra nobis sustulit repente.  
Ab ego dans lacrymas respondeo : quis potest gementem  
Solarier dignè satis Patronum?  
Vade age, tunc regerit, solamina milles mī creabis,  
Si clara PILARICKI ORUM babebo  
Nomina cuncta domūs. Ego protinus his volens petitie  
Assurgo, quæ nunc ipsa comprobat res.  
Ergo, PATRONE, TUIS & Tu quoq; sta, precor, repostis.  
Luctusq; ponas, ponat hos Propago.  
His erigit Derelictos  
M. ESAIAS PILARICK, S.S. Th. Cult.  
Elect. Sax. Al.

---

Finita lucta est, O Pater optime,  
Pæana lætum jam pius occine,  
Oblite fletus: namque JESUS  
Cœlica ferta Tibi plicavit.

JEREMIAS PILARICK. Phil. Stud.

---

Siccine amate DEO, cunctis dilecteq; linqvis  
Dum Cœlum scandis pignora mœsta Solo?  
Te NATI lacrymis conspergunt, mœsta Nepotum  
Tuba dolet, viduos Matre gemente dies?  
Scilicet hæc superum fuerat benedicta voluntas,  
Tam clarum sidus jam micat inde polo.

Honori ultimo lmq; fac.  
GABRIEL PILARICK; Music. & Phil. Stud.  
Ser. Gothan. Princ. Cameræ Altist.

---

Domine, Tolle Spiritum meum!

FABRICIUS super luctatus forte catarrho,  
Ad Regem Superum talia verba dedit:  
O Pater!

O Pater! en Dominus vitæqve necisqve vocaris,  
Fac, qvæso, noster Spiritus astra petat.  
Vix fatus, mox Aligerum DEUS ipse Dynasta,  
Ad superos animam mandat abire Senis.

JONAS PILARICK.

---

H Eu cecidit altæ columnen eversum domūs!  
O Sors acerba! Tu decus lapſe domūs!  
En spem Nepotum subita sors telo ferit.  
Ades benignum Numen extremo luctui  
Natorum: eosdem prospera, & da gaudia,  
Humanajusto fate qui nutu regis.

JE REMIAS & PILARICKII  
JOHANNES Fratres Germani.

---

Q Væ Sors, invida Sors revincta Corda  
Tanto vulnere lacinat? cohortem  
Desertam qviserit volens mederi?  
Is fiet Dominus soli Poliqve,  
Qui solamina suggestet relicta.

ANDREAS PILARICK.

---

U ltimus, dolore plenus, mœsta solor pignora,  
Sim licet Puer tenellus, ipse laetus gaudia  
Possidet, quem vos gementes nunc putatis perditum,  
Huic dedit JESUS coronam, fatus illi talia:

Euge, Serve, Vive, Plaude!

STEPHANUS PILARICK.

•8(0)8•

8.

Umg. VI 6

**ULB Halle**  
005 905 370

3



1077



# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black	Grey	Light Grey	Dark Grey	Black
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
Centimetres												
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
Centimetres	14	15	16	17	18	19	10	11	12	13	14	15
Inches	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
Centimetres	17	18	19	16	15	14	13	12	11	10	9	8
Inches	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13
Centimetres	18	19	16	15	14	13	12	11	10	9	8	7
Inches	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

ab' III. 2852.  
51  
OESTISSIMAS,  
ARIO EMERITO,  
RO,  
iveret,  
LARISSIMO, DOCTISSIMO<sup>g</sup>,

# ORGIO ICIO, BURGENSI,

VI. Annos PASTORI

-bricensi vigilantissimo,  
issimo, &c.

ore totius amplissima

FABRICIANÆ

C. LXXVII. die 6. Junii  
functo,

i-britzæ ad D. Mariaæ  
mpâhumato,

ICTAS

a PROSEQUITUR

FICA

LARICKIANA,  
EXTORRIS.

LEI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.  
Loc LXXVII.